TOMI I. PARS XVI.

STEPHANI DE PRAGA
THEOLOGI
ORATIO
In Concilio Constantiensi solenniter habita
DE

MATURANDA ECCLESIÆ EMENDATIONE.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBVRG.
DVCIS &c.

Ex antiquo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS
eruta ab
HERMANNO von der Hardt/
Acad. Jul. Professore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCt. Helmstadiense

* *
*

Sermo
Magistri
STEPHANI DE PRAGA
sacræ Theologiæ Professoris,
prædicatus
CONSTANTIÆ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

EN novam, nec inscitam, si rerum momenta spectes, orationem, in Concilio Constantiensi habitam, qua inprimis *impensum emendationis desiderium* clarissime iterum depingitur. Memorabile inter cetera quod ait, Ecclesiæ fidem potiorem esse Pontificis summi fatis. Ut præstet, in Concilio Constantiensi agere de Christianorum religione perpurganda ac redintegranda, quam de Pontificum dissidiis componendis.

Ægerrime etiam tulisse videtur, in Concilio Constantiensi tam diu disputari de causa *Doctoris Johannis Parvi*, qui subditorum hoc in Reges jus esse dixerat, quos, tyrannos, omni arte interficerent: Illam sententiam impiam, & in Principes æque ac totum reipublicæ statum injuriam, prorsus & absque mora non damnari miratus. Hæc enim virorum cordatorum communis erat sententia, quam & *Gerson* magno animo professus est, ut constabit, quando pleniora Acta istius controversiæ in Concilio diu multumque agitatæ ex *MSCtis Cæsareis Vindobonensibus* ac *Ducalibus Wolfenbuttelensibus* alio Tomo exhibebimus.

Præterea *autoritatem Concilii*, in similibus negotiis, publicam Ecclesiæ salutem concernentibus, majorem autoritate Papæ asserit intrepide. Ex quo colligit, fas non esse, in Constantiensi Concilio differre negotia quæ ad commoda Ecclesiæ vergant, usque ad novi Pontificis electionem. Insignis profecto fiducia Theologi illa ætate.

Simoniam præsertim in statu Ecclesiastico abominatur vir inte-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gerrimus, cujus damna in Ecclesiam redundantia non celat, quo est ore aperto, animoq; infucato.

Quis vero hic *Stephanus de Praga?* Num forte *Stephanus de Burgo, Prior S. Sepulcri Hierosol.* quem in Concilio extitisse referunt *Ulricus Reichenthal, Stumpfius, Munsterus,* aliiq; ; Levi forte calami apsu, quem nunc *de Burgo*, nunc *de Purgo*, nunc de *de Bargo* scribunt. Quod tamen non fit verosimile. Quandoquidem & in *Codice MSCto Helvetio Augiæ divitis* Orationes ejusdem autoris *Stephani de Praga* commemorantur. Forte & in *Codice MSCto Erfurtensi*, orationes in Concilio habitas complexo, hæ vel aliæ ejusdem Autoris orationes ejusdemq; argumenti sistuntur. Hactenus id nostrum non est definire, in quorum manus neuter codex, Helvetius & Erfurtensis, in hunc diem pervenit.

Neque expeditum, an hic *Stephanus de Praga* sit *Stephanus Aschpla*, Academiæ Pragensis Theologus, in Concilio Const. præsens, an *Stephanus Palez*, itidem Theologus Pragensis, in Concilio Hussi adversarius acerrimus, an alius. Frustra sane consuluimus illorum plurimos, qui vitas eruditorum recensuerunt.

Quod si posthac vitam fortunamq; hujus *Stephani de Praga* cognoscere aliquando dabitur, eruditis communicare suo loco haud intermittemus.

Cordatus sane vir fuerit, qui, omni hominum autoritate seposita, ingenue pronunciaret, quid sentiret, quiq; meliorem Ecclesiæ sui temporis fortunam enixe desideraret.

STEPHANI DE PRAGA
Theologi
ORATIO
In Concilio Constantiensi solenniter habita
DE MATURANDA ECCLESIÆ EMENDATIONE.
Ex antiqvo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

Oratio habita Domin. 3. post Trinit. mense Junio, Anno, ut apparet, 1417.

Resistite fortes in fide, scribitur *I. Petr. V.* & in epistola hodierna.

Reverendissimorum Patrum & virorum celeberrimorum & doctissimorum cœtum conspiciens, in qvorum præsentia prædicaturus consisto, in me ipso attonitus vehementer contremisco.

Primum quidem, quod inexpertus *loqui debeo*, tanta gravatus imperitia inter eos, quos multifaria & antiqva roboravit scientia. Illos *hortari debeo*, ut inimicis fidei resistant fortiter, quorum consilio & auxilio ego inermis summe indigerem, illis hostibus ad resistendum viriliter. Illos insuper *admonere debeo*, ut odiant vitia, cum per me ipsum sim peccatorum multiplici oppressus nequitia.

Ut enim verbis utar *Es.* III, non sum medicus animarum, sufficiens ad sanandum, & in domo mea non est panis verbi Dei, ad reficiendum, neqve vestimentum virtutis, ad me ipsum, quanto minus ad alios exornandum. Propterea exhortator fieri erubesco aliorum, qui utinam ad me ipsum sufficerem gubernandum.

Optabam igitur silentio præterire, & illum locum tutissimum eligere, cum Maria ad pedes Domini sedente *audire potius, quam aliquid loqui*, & huic oneri prædicationis mihi gravi proponens me non implicare, propter librorum defectum, & ingenii tarditatem.

Sed tamen loco pro ista die vacante, ad illud opus arduum me exhortanti non valui excusare.

Sed quid faciam, cum Reverendissimos patres & eximios doctores mira subtilitate & facundia præditos ante me prædicantes intueor, qui jam *plus quam per totius anni circulum* affluentibus S. Scripturæ dapibus vestras paternitates & dominationes subtiliter & utiliter saginarunt? Insufficientia & ineloqventia mea me retraheret à labore. Sed vestris gratiâ & benignitate confisus, sperans, qvod juxta dictum Apostoli II. *Cor.* XI. libenter suffertis, cum sitis ipsi sapientes, opus aggrediar.

Unde si propter stili incomti inertiam, & linguæ impeditæ facundiam, vestras paternitates & dominationes contingat fastidire & tædere, rogo humiliter & ex affectu, *resistite fortes in fide*, ne vestræ paternitates & dominationes propter impatientiam & tædium stili rudis debito primo spolientur. Sed attendentes illud *Bernhardi super cantica: Doctrina sæpe non curiositatem acuit, sed caritatem accendit*, de manibus meis jam vilia ad vescendum suscipite fercula, ut postmodum ad priores epulas quanto esurientius, tanto ardentius recurratis. Et nunc quæso meam insufficientiam vestra adjuvet caritas, ad matrem misericordiæ una mecum assurgentes, & ipsam salutantes humiliter pro impetranda gratia dicamus: *Ave Maria!*

Peccatis & tentationibus in fide resistendum.

Resistite fortes in fide, scribitur ubi supra. *Reverendissimi* &c.

Tota series Sanctarum Scripturarum nos ad salutem invitans & beatitudinem, exhortatur *peccata fugere & tentationibus inimicorum ad illa peccata sugillantium in fide resistere.* Nam & qui certat in agone non coronabitur, nisi, qui legitime certaverit II. *Tim.* 2.

Salutis humanæ hostes.

Sunt autem *tres inimici capitales*, qui nos

nos ad illicita instigant, & nocive prosequuntur, scilicet *caro, mundus & diabolus.*

Caro instigat ad *delectationem & voluptates*, mundus ad *ambitionem & vanitates*, diabolus ad *deceptionem & dolositates.* Unde Hugo: *Vox carnis voluptas, vox mundi vanitas, & vox diaboli dolositas.*

Et in his *tribus* omnia peccata hominis salutem impedientia includuntur. Propter quod princeps Apostolorum nos incitat contra istos hostes in fide assurgere, & eis non consentire, dicens: *Resistite fortes in fide.*

Et qvanquam hæc verba ad *omnes fideles* dirigantur, qui sunt quasi turma bellica adversus hostes militans hic in via: Præcipue tamen vos, *Reverendi Patres, Prælati, Pastores, & cæteri viri Ecclesiastici*, qui in acie hujus belli *ex officio* tanqvam viriliores & fortiores estis constituti, exhortamini verbis præsentis thematis: *Resistite fortes in fide.*

Paranesis ad Concilii Const. Assessores.

Et meritò. Ne, acie debellata, tota turma populi Christiani consequenter *vestro exemplo* corruat & succumbat.

Ut autem istis hostibus resistere valeatis, *tria* reperio esse *necessaria.*

Primum est, maceratio corporis in effectu, contra carnis delicias & voluptates. Et hoc scriptum est *Exodi* 12. ubi dicitur: Quod filii Israel ambulaverunt *per siccum in medio maris.*

Voluptates refrenandæ à clero.

Secundum est, *paupertas in affectu, contra concupiscentias mundi & vanitates.* Qvod etiam significatum ibidem, cum dicitur: Filii Israel ambulaverunt in solitudine.

Vanitates contemnēdæ à clero.

Tertium est, prudentia in intellectu, contra astutias diabuli & dolositates. Ideo dicit sapiens: *Relinquite infantiam, & vivite & ambulate per viam prudentiæ, Proverb. IX.*

Prudēter insidiæ cavendæ à clero.

Sic enim fideles Christi, & cæteri *viri Ecclesiastici* ad resistendum hostibus debent ambulare, *in bonis spiritualibus* proficiendo, tria *seminaria omnium peccatorum*, præsertim mortalium, prædictis tribus bonis contraria, calcaturi: Juxta consilium B. Johannis, in sua Canonica dicentis: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas in eo, quia omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, oculorum, aut superbia vitæ. I. Joh. II.*

Sicut enim *reprobi Prælati* & cæteri *viri Ecclesiastici* in corpore Christi, ambulantes crescunt in secularibus, cumulantes *nequitiā impunitam*, quæ est seculi lætitia, se *inordinate ditando, lasciviendo & superbiendo:* Sic è contra *boni Prælati & viri Ecclesiastici* in corpore Christi, & per consequens in Christo, qui est fons humilitatis, & Evangelicæ paupertatis, ambulantes proficiunt, circa *bona honesta, delectabilia, & humilia*, humiliando, castigando, & depauperando, ad beneplacitum Christi.

Malorū Prælatorū Ecclesiasticorum genius. Bonorum Ecclesiasticorum indoles.

Et sicut *superbia, lascivia, & avaritia* circa bona honesta, delectabilia & utilia, sunt gloria & divitiæ carnis & seculi falsæ & inanes: Sic *humilitas & castitas & paupertas* Evangelica circa eadem bona, sunt vere & bene gloria & divitiæ spiritus, quibus aliqvis vere & formaliter est dives & gloriosus. Primi enim, scilic. *superbi, lascivi, & avari*, sunt gloriosi & divites in mundum, secundi vero, scilic. *humiles, casti & pauperes*, sunt divites & gloriosi in Deum. De quo sententialiter *Luca* 12. Unde Christus, in mundo pauperrimus fuit, in Deum ditissimus: Et AntiChristus, ditissimus in mundum, erit summe pauper in Deum.

Superbia Avaritia, Lascivia, absint à clero.

Status itaq; *præsentis vitæ est status militandi.* Quod militia est vita hominis super terra, *Job.* 1. Ideo quanto quis plus se humiliat circa *bona honesta*, plus se castigat circa *bona delectabilia*, & plus se depauperat circa *bona utilia:* Quæ triplicia bona sunt, velut suprema, media & infima: Tanto virilius militat in *bello hujus viæ*, plus hostibus præfatis generis humani in fide resistit, & fit magis dives, & in Deum gloriosus. Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, 1. *Petr. II.* Et quod Christus fecit pro nobis, hoc etiam à nobis requirit, teste *B. Augustino in sermone de nativitate virginis gloriosæ*, sic inquiente: *Pro nostra redemtione non aurum dedit, non argentum appendit, non pecuniam numeravit, sed se ipsum tradidit, & pretiosum sanguinem sui corporis fudit, propriam ipsius animam posuit. Expedit igitur, ut Redemtori suo semetipsum offerat, quicunque ad*

Hæc vita non nisi pugna.

ejus

Vestigia Christi à clero legenda.

ejus consortium pervenire festinat; Illius vestigia imitetur in via, qui cum eo gaudere anhelat in patria: Illum sibi ducem faciat in itinere, qui ejus particeps esse desiderat in perventione. Nemo igitur se ipsum vel fratres seducat, nemo se vanitate spei decipiat. Non enim possumus hic gaudere cum seculo, & illic regnare cum Christo. Hæc Augustinus.

Cum autem Christus nec superbiendo circa bonum honestatis, nec lasciviendo circa bonum delectationis, nec ambiendo bonum utilitatis, post sui humiliationem gloriam, post castigationem delicias, & post depauperationem divitias regni accipere à summo promeruit: Oportebat enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, *Lucæ ultimo:* Hoc nobis *reliquit exemplum*, ut sequamur vestigia ejus. Cujus exemplo *delectationi carnis, avaritiæ* mundi, & *superbiæ vitæ resistite fortes in fide.*

Fidei vis in pugna adversus peccata.

Et signanter summus Papa *B. Petrus* addit: *in fide.* Scivit enim, & Spiritu S. docente cognovit, quod non nisi *in fide* & *per fidem* nostros hostes & inimicos debemus superare. Quia hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, *I. Petr. VII.* Hoc idem docuit Apostolus *Ephes.* 7. dicens: *In omnibus*, subaudi *tentationibus, sumentes scutum fidei, in quo positis nequissimi hostis ignea tela extinguere.*

Fidei necessitas ad salutem.

Etiam quia *ad veram beatitudinem ambulare volentibus*, sive agendo, sive tentationibus resistendo, *primo omnium necessaria est fides. Sine qua nec* in hoc seculo quis *gratiam justificationis* consequitur, *nec* in futuro *vitam æternam* possidebit. Quia sine fide est impossibile placere Deo. *Hebr. XI.*

Et pro utraque ista causa Apostolus *fidem* valde commendans ibidem concludit: *Sancti fide vicerunt regna*, siquidem tyrannorum, scilicet carnis, mundi & diaboli. Quoad primam causam operati sunt *justitiam*, adepti sunt *remissiones* quoad secundam.

Proinde Magistrorum optimus & sapientissimus ipse Christus, qui vult, omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis in fide pervenire, *I. Timoth. II. triplicem fidem* in domo Ecclesiæ militantis collocavit. In fundamento hujus doctrinæ posuit *ecclesiasticam fidem*, humilem & obedientem, in corpore ejus exstruxit *catholicam fidem*, castam & patientem, sed in tecto ipsius erexit *Apostolicam fidem*, pauperiem, spinis divitiarum renitentem. Ut certe domus illa Ecclesiæ militantis per fidem *humilem* & *obedientem* in terris pergat ad speciem liberam & gloriosam in cœlis: Per fidem *castam* & *patientem* in temporalibus angustiis transmigret ad speciem lætam & voluptuosam in æternis deliciis: Per fidem *pauperem*, spinis divitiarum renunciantem, in angustis copiis perveniat ad speciem divitem & superabundantem in amplissimis copiis.

Nec ampli' quovis modo quæri aut desiderari potest, quam habere *sufficientiam* omnis *boni honesti* per *libertatis gloriam*, omnis *boni delectabilis* per *voluptatis lætitiam*, & omnis *boni utilis* per possessionis abundantiam. Sufficientia omnis boni per primam fidem adipiscitur: Secunda per secundam, atq; tertia per tertiam: Secundum ordinatissimam scalarem ascensionem per tres gradus fidei, infimum, medium, & supremum.

Tantæ itaq; admirabilis virtutis est *fides triplex* supradicta. Unde *Bernhardus super cantica: Quid non inveniet fides? Deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique æternitatem ipso suo vastissimo loco quodammodo circumcludit.* Quæ bona omnia si consequi cupitis, hostibus ad hæc impedientibus avide resistite fortes in fide.

Pontificis ac Cardinalium munus.

Porro ipse Christus sua sapientia immensa fecit & ordinavit, ut *summus Pontifex cum Dominis Cardinalibus, Pontificibus, Prælatis, & cæteris suis Ecclesiasticis*, veluti in regione capitis suo officio residens, per *claves regni cœlorum* sibi traditas sit rector, gubernator, & administrator domus supra dictæ: *Imperator verò Romanus, cum Regibus, Principibus, potestatibus, & aliis suis armigeris secularibus*, veluti in regione brachiorum substans, *gladio* & *armis* suæ potentiæ temporalis sit defensor, protector ac propugnator domus memoratæ: Sed *fidelis populus communis*, veluti in regione pedum subjacens, sit *laboribus* suorum

Imperatoris ac Regum atq; Principum officium.

negotiorum ſubpediator, ſuſtentator, & ſubportator talis domus ſupradictæ.

Officia ſacra & civilia non confundenda.

Tunc autem, ſecundum Chryſoſtomũ *in Polycrat.* totum reipublicæ corpus roboris ſui integritate vigebit, tunc optime corporis ſpecie venuſtabitur, & elegantis pulchritudinis decorem induet, ſi *ſingula locum teneant ſortita decenter*, & ſi fuerit officiorum *non confuſio, ſed diſtributio.* Et hunc ordinem deſcribens metriſta inqvit:

Tu ſupplex ora, tu protege, tuq; labora.

Omnis igitur domus, totus honor & gloria *Papæ, Cardinalium, Pontificum, Prælatorum*, & aliorum *Eccleſiaſticorum, Imperatoris, Regum, Principum, poteſtatum*, & cæterorum *ſecularium*, atqve totius *communis populi* Chriſtiani, in officiis & negotiis ſibi propriis & appropriatis permaxime in hoc ſubſiſtunt & vigent, ut primi regendo, gubernando, & adminiſtrando ſalubriter, ſecundi defendendo, protegendo, & propugnando viriliter, & tertii ſuppeditando, ſuſtentando & ſupportando fideliter, domum Eccleſiæ militantis tueantur, & laborent diligenter pro toto ſuo poſſe, ut ipſa in triplici ſua fide prædicta ad beneplacitum Dei ſalvetur, nutriatur, augeatur, ac perficiatur. Cum, ſecundum *B. Auguſtinum de verbis Domini*, nullæ majores ſint deliciæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla ſubſtantia hujus mundi major ſit, quam *fides catholica.*

Ideo ipſam impugnantibus eamqve lacerantibus reſiſtite fortes in fide, omnes filii ſanctæ Matris Eccleſiæ.

Qvamvis autem ipſe Chriſtus ſic ſumme ſapienter, ſumme eleganter, domum ſuam in ſe ipſo ordinaverit, & pro eadem optime diſpoſuerit: Tamen, quia contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ut hujus ſuæ domus & triplicis ejus fidei claritas magis ac plene, & in ſe, & in reſpectu ad ſuum contrarium refulgeat, permiſit ipſe prudentiſſime, ut *mille artifex Satanas circum poneret domum ſuam* in triplici perfidia fabricatam.

Eccleſia Chriſtiana corrũpitur variis modis.

In fundamento talis domus poſuit diabolus *perfidiam, ſuperbam & protervientem*, eccleſiaſticæ fidei humili & obedienti contrariam. Qvæ perfidia *hæreſis* nominatur.

Hæreſi.

In corpore ejus inſtruxit perfidiam *laſcivam & impatientem*, catholicæ fidei caſtæ ac patienti adverſam. Qvæ *ſchisma* appellatur. *Schismate.*

In tecto vero illius domus maledictæ collocavit perfidiam *avaram & ambitioſam*, Apoſtolicæ fidei pauperi, ſpinis divitiarum large renuncianti, oppoſitam. Quæ perfidia *Simonia* nuncupatur. *Simoniã.*

De qvibus *perfidiis* ſententialiter habetur *I. Cor. I. & XI. ad Titum III. Act. VIII. & IV. Reg. 7.*

Verum, qvia ſecundum *beatum Hilarium in I. libro de Trinitate, & Auguſtinum de Eccleſia*, hoc proprium habet Eccleſia, dum opprimitur creſcit, dum contemnitur proficit, dum læditur vincit, dum arguitur intelligit, tunc ſtat cum ſuperari videtur: Neceſſe eſt, talem domum qvoad triplicem ſuam fidem habere adverſam domum triplicis perfidiæ, à qua ſic impugnata & excitata floreat, creſcat, proficiat, vincat & ſuperet, ut jam eſt ſupra dictum. *Eccleſia preſſa aſſurgit altius.*

Prima perfidia, ſcilicet *hæreſis*, ubicunqve venerit, *fidem* primo modo dictam, quæ locum tenet fundamenti, effodit & *evellit.* Modicum enim fermenti totam maſſam corrumpit *I. Cor. V. & Gal. V.* Et ſicut propoſitio copulativa, ſi milleſies mille partes veras in ſe & catholicas habeat, dummodo unam falſam in ſe & hæreticam cum his continet, tota ipſa non vera & catholica, ſed falſa & hæretica judicatur: Sic, ſi quiſpiam quotlibet credulitates in ſe veras continet & catholicas, ſi una cum his fuerit hæretica, totalis ſua credulitas non catholica ſed hæretica reputatur. Eo quod talis credulitas aut eſt propoſitio copulativa, aut circa propoſitionem copulativam verſatur mentaliter. Propter quod dicit *B. Auguſtinus in de fide ad Petrum: In eo, quod quis ſingulis non credit articulis & contumaciter repugnat, & his contraria dicere non dubitat, hæreticus & fidei Chriſtianæ inimicus apparet. Cum ſi quis delinquit in uno, factus eſt omnium reus.* *Hæreſis fidem evertit.*

Secunda perfidia, ſcil. *ſchisma*, fidem ſecundo modo dictam tollit & excludit. Ubi enim homo, vel communitas qvæcun- *Diſfidia Pontificũ fidei inimica.*

quæcunqve, à vero suo Ecclesiastico capite & sponso lascivus & impatiens adulteratur, alieno quærens adhærere, vel pro adultero in Ecclesiasticis se gerit, ibi fidem secundo modo dictam tolli necesse est & excludi. Inseparabile est enim sacramentum unitatis. Et sine spe perditionem permaximam sibi acqvirunt, qui schisma faciunt, & relicto Episcopo alium sibi constituunt, dicit B. Cyprianus martyr, ut habetur 7. *q.* 1. *c.* 9.

Simonia fidei adversa.

Tertia perfidia est *Simonia*, quæ fidem tertio modo dictam removet & expellit. Ubi enim *Simonia*, quæ radicaliter est *studiosa & perversa voluntas pretiosa spiritualia pro vilibus temporalibus commutandi*, intraverit, ibi fidem pauperem, spinis divitiarum large renunciantem, fugat & propellit. Qvia non potest quis servire Deo & Mammonæ, *Matth.* VI.

Et sicut in composito naturali est *triplex unio*, una animæ ad corpus & ejus membra, secunda corporis & membrorum ad invicem, tertia est eorum, quæ adjacent composito ac ejus membris: Sic suo modo est triplex unio in composito spirituali & supernaturali. Et sicut prima fide servatur unio Ecclesiastica animæ mysticæ, quæ est *Christus*, ad corpus & membra in composito mystico, quod est *præsens Ecclesia*: Sic etiam fide secunda salvatur unio corporis & membrorum ejusdem ad invicem in eodem corpore mystico. Sicut deniqve tertia fide conservatur unio adjacentium Ecclesiasticorum & spiritualium bonorum ad prædictum compositum & sua membra: Sic necesse est per oppositum, quod, ubi fuerit prima perfidia, ibi illa anima mystica separetur; Et ubi secunda fuerit, quod ibi illud corpus discerpatur: At ubi tertia perfidia advenerit, quod ibi unio tertia spiritualium & Ecclesiasticorum bonorum adjacentium dissipetur.

Propterea, sicut prima Ecclesiastica *unio corporis & membrorum ad animam* mysticam est suprema, secunda vero *corporis & membrorum ad invicem* est media, tertia autem *unio adjacentium* Ecclesiasticorum & spiritualium *bonorum ad compositum* mysticum & ejus membra est inter has infima: Sic fides prima est suprema, secunda media, tertia ima. Et suo modo prima perfidia, quia primæ fidei contraria, est gravissima, secunda perfidia secundæ fidei adversa est media, & tertia perfidia, quia tertiæ fidei opposita, inter has in genere suo est minima. *Heresin* enim primum locum tenere inter perfidias, *schisma* medium, *Simoniam* infimum, ex jam declaratis concluditur satis plene.

Quibus perfidiis tanquam *tribus hostibus letalibus, quæ Ecclesiam vulnerant*, scindunt & dissipant perfide, resistite fortes in fide.

Et tantum de præsentis thematis introductione.

Boni plus possunt virtute, quam mali iniquitate.

Quia vero recti & *virtuosi longe sunt sufficientiores virtute, quam perversi* & vitiosi *sint potentes iniquitate*: Cumque in illa domo diaboli maledicta, *Pontifices, sacerdotes & levitæ* templi dæmoniaci, *tyranni*, carnifices & tortores regni diabolici, atque *populus* Gomorrhæ, per triplicem perfidiam prætactam *vi & dolo* supra modum domum Dei & ejus fidem triplicem perseqvuntur & impugnant: Quanto magis incomparabiliter *Pontifices, sacerdotes & Levitæ* templi dominici, *Reges* & Principes ac milites in regno Dei, *populusq.* Domini, & præsertim *hoc generale concilium, ad hunc finem in Spiritu Sancto congregatum*, habent prudentia sua & virtute invadere & *devastare regnum Diaboli*, & triplicem ejus perfidiam, *heresin* scilicet, *schisma*, & *simoniam*. Quæ per se & alia crimina mundum impleverunt, & regnum cœlorum, quod est in terris, pene vastarunt. *Totus* enim *mundus in maligno positus* est, *I. Joh. ultimo.*

Concilium Constantiense tenetur scelera extirpare & Ecclesiam perpurgare.

Heresis unionem Christi & Ecclesiæ tollit.

Prima namque perfidia & maxima secundum genus suum est *heresis*. Quæ ubi venerit, *unionem* inter tres præcipuam, corporis scilicet & *membrorum Ecclesiæ* ad animam mysticam, quæ est *Christus*, in composito Ecclesiastico separat & dissolvit.

Quis autem crudelitatem & malitiam hujus perfidiæ posset æstimare? Si enim tam dulce vinculum naturale animæ ad corpus & ejus membra, ut etiam

iam minimi membri ſenſitivi ſeparationem anima absque magno dolore non patiatur: Quam ſupra modum duleius eſt *vinculum ſpirituale animæ myſtica*, quæ eſt *Chriſtus*, *ad corpus myſticum*, & ejus membra.

Suavis unio Chriſti & fidelium.

Et per conſequens, quam miſerabilis, multum flebilis eſt & dolenda *ſeparatio* cujuscunque membri à tali myſtica anima, per hanc præſertim perfidiam, quæ hæreſis appellatur, ubi vinculum illud à membro evellitur radicitus & auſertur!

Flebilis ſeparatio Chriſti & Eccleſiæ membrorum.

Nam cum corpus Eccleſiæ & membra ejus ad iſtam myſticam animam veluti triplici funiculo, & tribus ligamentis, *fide* ſcilicet, *ſpe* & *charitate*, in ſtatu viæ connecti habeant & ligari: Et *ſi* tunc *charitas*, ſi etiam cum hac ſpes in aliquo membro *deficiat*, fide remanente, illud membrum, etſi mortificatum, adhuc tamen corpori Eccleſiæ & animæ per talem fidem eſt utique myſtice colligatum. Ut, ſi cujus *manus* eſſet *arida*, verum quidem eſſet *membrum*, licèt absque ſangvine inefficax & *mortuum*: Sic *fides*, cum ſit *vera*, *ſine operibus mortua* eſt. Sicut dixit *B. Auguſtinus* contra Donatiſtas, & habetur 1. *q.* 1. *c.* 47.

Fide, ſpe, & charitate uniuntur fideles cum Chriſto.

Fides ſine charitate & ſpe eſt mortua.

Si autem *hæreſis* quæcunque ſupervenerit, totalem *credulitatem* circa materiam catholicam *reddit hæreticam*, ut ſupra dictum eſt. Et tunc fides tollitur, & vinculum illius membri ad corpus Eccleſiæ & animam myſticam penitus extirpatur.

Concilium conſtantienſe excitatur ad hæreſes extirpandas.

O ſi tantam crudelitatem hujus ſere peſſimæ & tyrannidem, quæ per unum morſum ita letaliter vulnerat, totalem hominis devorans credulitatem, *hoc ſacrum concilium*, *univerſalem Eccleſiam repræſentans*, cordialiter perpenderet! Revera *ad extirpationem errorum & hæreſium* majorem diligentiam adhiberet, *moras & dilationes* amputando. Nam hæreſes ſi dimittuntur in longum indiſcuſſæ, plurimos inficient, & radices ſuas difficilius evulſibiles in cordibus infidelium profundabunt, & ipſos infectos hæreſibus roborabunt.

Mora Concilii in hoc negotio improbatur. Sicuti Johannis Parvi controverſia frigide tractabatur.

Nam mala per longas invaluere moras. Unde ſi *pro ſedando ſchismate contendentium de papatu hoc ſacrum concilium* cum ſumma diligentia, magnis laboribus, periculis & expenſis fideliter laboravit, nihil de tempore & aliis contingentibus omittendo: Quanto magis eſſet *per ipſum concilium providendum*, *ne ſchismata fierent circa fidem*, præcepta Dei, & Eccleſiæ ſacramenta. Quia hæc ſine proportione nocivior exiſtit diviſio, maximam tollens unionem.

Solliciti us in Concilio Canſtant. agendum de Eccleſia redintegranda, quam diſſidiis Papalibus compoſerendis.

Igitur *majus & ſalubrius eſſet, fidei Chriſtianæ, quàm diverſarum obedientiarum occurrere ſciſſuris.* Quidnam prodeſt, ſi ſub uno capite ſchismata haberentur? *Ordo* nempe eſſet *præpoſterus*, ſi majori diligentia, ampliori conatu & labore in unam obedientiam, quàm *in unam fidem* populum Chriſtianum reducere curamus. Et ex minoris boni præpoſitione grave peccatum incurritur, ſi ardentius, ſi denique vigilantius obedientiarum quàm *fidei* reunire laboramus *ſciſſuras.*

Ordo præpoſterus ſi prius agatur de Papa quam Eccleſia ſalute.

Exſurgat igitur quæſo, *exſurgat hoc ſacrum concilium* in ſpiritu & virtute Dei, & pro toto ſuo poſſe eradicet, per ſuam ſententiam & definitionem omnes *hæreſes peſtiferas*, *in hoc ſacro concilio diu ventilatas*, quæ ſtatus utriusque, ſpiritualis ſcilicet & ſecularis ordinem nituntur evertere, & autoritatem tyrannicam Anti-Chriſti, & Babyloniam totius confuſionis inducere, *electione ſummi Pontificis minime expectata.*

Admonetur Conſtantienſe Conciliũ ad controverſias de fide, in Concilio diu ventilatas, compoſnendas.

Eſt enim *autoritas concilii generalis*, *præcipue*, *ubi de fide agitur*, *major autoritate Papæ & collegio Cardinalium.* Cum ipſum *generale concilium*, *univerſalem Eccleſiam repræſentans*, *hoc privilegium habeat*, Spiritu Sancto dirigente, quod in his, quæ ſunt fidei, errare non poſſit, ſtante lege, nec in toto peccato mortali maculari. Aliàs non eſſet ſecurum refugium viſibile in humanis, ſi non *ſacrum concilium*, ad quod in materia fidei & Eccleſiaſtica eſſet recurrendum.

Qualis erat canſa Joſ. Parvi.

Emendãdam prius Eccleſiam eſſe, quam papa eligatur.

Concilii autoritas ſupra Papam, dum agitur de fide.

Ideo *ſummus Pontifex cum collegio Cardinalium in caſibus novis & arduis ad deliberationem concilii recurrere conſuevit*, ut apparet *Sext. Decretal. lib.* 1. *tit.* 1. *De ſumma trinitate*, per totum. Quod inſinuat *B. Hieronymus ad Evandrum* dicens: *Si fidei reſnautoritas quæritur*, *orbis major eſt urbe.*

Concilii in rebus fidei.

Et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Et habetur *Dist.* 93. cap. 24.

Viri eruditi in Concilio Const. congregati.

Nonne *viris eruditis fides debet committi discutienda ?* Qvales *sunt in præsenti Concilio.* Viri utiqve spirituales & sapientes, secundum qvalium judicia medium virtutis Philosophus jubet accipere. Hic præterea sunt idonei conditores legum, doctrinaliter & autoritative. Hic utiqve sunt tetragoni sine vituperio, Theologiæ Professores, Juris Canonici Doctores & civilis. Et alii viri doctissimi in magna multitutidine congregati. Qvi mentiri nesciunt supra motis in materia fidei vel movendis. Qvi etiam possunt redarguere mentientes, dum à vero falsum, â catholico erroneum, ab illicito licitum sciunt separare.

Gravis admonitio ad patres in Concilio, qui in dijudicandis erroribus non seqvantur affectus. Uti fiebat in negotio Joh. Parvi.

Propter quod, Reverendi Patres, eximiiqve Doctores, legis divinæ servidi Zelatores, *in hoc sacro concilio congregati*, ad hoc animum vestrum, affectum & curam dirigite, ut, qvod ad conservandam fidem & religionem pertinet Christianam, *sine acceptione personarum*, nullo odio, nullo fervore vel favore, nullave desidia & protelatione negligatur. *In hac enim materia nulli est parcendum*, nulli obtemperandum, quin imo contra omnes hæreses, hæreticos, fautores eorum & defensores, quantocius fieri potest, est viriliter insurgendum, ne ipsa domus Ecclesiæ militantis in suis corruat fundamentis. Hoc docet nos egregius *Doctor Hieronymus*, in libro de *Expositione catholicæ fidei* dicens: *Resecandæ sunt carnes putridæ de corpore, ne totũ corpo intereat vel putrefiat. Scabiosa ovis repellenda à caula, ne totus grex pereat, parvo ignis removendus à domo, ne tota ardeat. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, pene totum orbem ejus flamma depopulata est:* Et habetur 24. q. 3. c. 16. *In his* namqve *qui intus sunt, in fidelibus, citius putredo est resecanda*, dicit *Augustinus*: Et habetur 23. q. 4. c. 17. Contra quos etiam summus Pontifex in bulla epistolæ hodiernæ exhortatur insurgere, dicens: Resistite fortes in fide. Causam præmittens: Qvia adversarius vester diabolus tanqvam leo rugiens circuit, qværens quem devoret. Et subjungit: Cui resistite fortes in fide. Et hoc qvoad primum.

De schismate papali in Concilio Const. componendo.

Est alia denique perfidia, videlicet *schisma*, quæ mediam unionem, utpote corporis & membrorum Ecclesiæ ad invicem tollit & excludit. Constat enim ex scriptura & ratione, quod perfectio Ecclesiastici corporis consistat principaliter in unitate, tanquam in consummatione omnis boni, pro quo, ni fallor, Salvator ante suam passionem rogavit humillime, dicens: Pater Sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. *Joh.* XVII. Pro hoc eximius Prophetarum postulabat, imprecans pacem super Israël, sciens, quoniam posuit auctor ejus Deus fines suos pacem.

Hæc autem *pax* & *unio* opposita *divisioni schismaticæ*, non consistit in unitate charitatis, in qua omnes homines in gratia existentes, & soli tales conjunguntur: Nec in unitate donorum naturalium, in qua omnes homines connectuntur: Nec in simili participatione fidei vel sacramentorum, & præsertim baptismatis, in quo character imprimitur, in qua omnes, qui baptisma rite susceperunt, copulantur, etiam ubi fidem actualem vel habitualem perdidissent: Non enim consistit in sola obedientia ad Christum, cum in hoc omnes obedientiæ sibi conveniunt & concurrunt: Sed est *unitas membrorum Ecclesiæ ad unum caput vicarium hic in terris.*

Unio Papalis quæ?

Qvam qui negat pertinaciter, *hæreticus* est, qui impugnat, *schismaticus* est. Nam quisquis post electionem factam canonice Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est. Nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiasticam non tenet unitatem. Qvisqvis ille fuerit, licet de se multum jactans & plurimum sibi vendicans, profanus est, alienus est, foris est, dicit *B. Cyprianus martyr*: Et habetur 7. q. 1. cap. 5. Verum si permanebit Ecclesia usque ad consummationem seculi, utiqve permanebit ut perfecta. Dei enim perfecta sunt opera non solum in inchoatione, sed magis in conservatione & consumma-

tione. Sed nemo dubitat, quin ablatio unius membri à corpore deformitatem grandem inducat & imperfectionem. Ideo *non est auferibile caput vicarium ab Ecclesia usque ad seculi consummationem*, quin post vacationem sedis aliquis certus & unicus suo tempore præficiatur Ecclesiæ sponsus, stante lege. Aliàs ipsa Ecclesia usqve ad tempus illud remaneret imperfecta, nec suorum gauderet integritate membrorum, & præsertim membri principalis.

An caput visibile ab Ecclesia possit abesse.

Igitur *Johannes Hus*, damnatæ memoriæ, *& sui sequaces*, Christi repugnant ordinationi, & spiritui sancto sunt rebelles, *asserentes*, & asserere non verentes, *quod non sit scintilla apparentiæ, quod sit unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam*, quod semper cum Ecclesia militante conversetur: Sed quod Christus, sine talibus capitibus monstruosis, per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum, melius Ecclesiam suam regularet.

Hus asseruit, Ecclesiam posse carere Papa.

Contra quos militat argumentum gentilis Philosophi, 12. *Metaphys:* Cum *regnum* & principatum oporteat *ab aliquo* vel aliquibus *regi*. Et, *non est bona pluralitas Principum: unus* ergo *Princeps*. Et, quia regnum cœlorum in terris, quod est præsens Ecclesia, est regnum perfectissimum, & regulatissimum, necesse est, ut in eo *unus* principetur. Optima & decentissima politiarum est, ubi *unus monarcha* præsidet, etiam ratione naturali hoc dictante.

Hus si sententia impugnatur. Et Papæ autoritas adstruitur.

Qvibus erroribus posset per plures canones, scripturas & rationes Theologicas, obviari, quas causa brevitatis prætermitto. Hoc concludens: Qvod, sicut Ecclesia duratura est integritate membrorum usqve ad finem seculi: Sic eidem Christus contulit vivificam semetipsam uniendi, seu in unione conservandi, facultatem & virtutem. Qvam toties practicare tenetur, qvoties ipsa Ecclesia suo capite vicario fuerit viduata, ne acephala & sine visibili capite maneat hic in terris.

Objectio: Christum esse Ecclesiæ caput.

Unio siqvidem *ad Christum* etsi sit *summe necessaria ad salutem*, qui est *caput principale Ecclesiæ*, permanens, & invariabile, sempiternum habens sacerdotium & papatum, ut ait Apostolus *Hebr.* 7. Non tamen usquequaqve sufficit lege divina currente ordinata, ita, ut *in illa* stemus *unione*, non procurantes, in quantum in nobis est, *alteram unionem* ad *caput vicarium hic in terris*: In quo resideat fontalis & capitalis *plenitudo Ecclesiasticæ potestatis*, quam ex ordinatione Christi semper oportet permanere & non deficere, quamdiu universalis Ecclesia durabit super terram.

Rs. Caput vicariũ in terris esse Papã.

Si enim *Ecclesiastica potestas particularis*, partialis & membralis, præsidendi visibiliter in humanis, & disponendi in Ecclesia, durabit usque ad consummationem seculi: Igitur *Ecclesiastica potestas* etiam *universalis*, totalis & capitalis, præsidendi & disponendi in Ecclesia durabit usqve ad illud tempus. Cum, secundum Philosophum, Relativa posita se ponant & peremta se perimant. Qvare necesse est inexistere alicui personæ humanæ, super terram visibiliter conversanti, quæ officio suo Ecclesiastico in universa materia catholica & Ecclesiastica cognoscere habeat, & definire, errores circa illam corrigere & repurgare, atque in universa illa materia curam habere omnium Ecclesiarum, & universorum Christi fidelium, conversantium visibiliter in humanis.

Ut Episcopi inferiores perpetuo in Ecclesia sint mansuri, ita & summum Episcopũ Papam semper existurum.

Licet tamen aliqvando, ut *sede vacante, illa plenitudo potestatis careat* pro tunc *insessore & subjecto suo*: In potestatibus partialibus tanqvam materialibus construetur.

Dubium de sede vacante, quando nullus Papa.

Sicut *vinum*, divisum in duo vasa, manet *totum materialiter*: Qvia manent omnes ejus partes quantitativæ, & sic tota materia ejus quantitativa: Sed ipsum vinum non manet *totum formaliter*. Sic de illa potestate *sede vacante* est imaginandum.

Resp. In membris Ecclesiæ tunc manere potestatem.

Et sicut species *Phœnicis* ad corruptionem unius singularis Phœnicis desinit esse, & regeneratione alterius reincipit esse: Sic desinente Papa, desinit esse illa species potestatis magnæ prædictæ in propria forma, & superveniente novo Papa reincipit esse & prius & posterius, & alia materialiter secundum subjectum, sed semper eadem secundum formam.

Exemplũ à vino per plura vasa diviso. A Phœnice.

Et illa specifica & magna potestas est per

per se principium, & per se finis omnium particularium potestatum.

Novo tollitur scrupulo, quod sic duo videantur esse Ecclesiæ capita, Christus & Papa. In Concilio Const. Papa quæsitus ab omni vitio alienq.

Nec ex hoc *Ecclesia habens Christum caput & Papam, biceps* est appellanda, sicut *Wiclefistæ* garriunt & *Hussitæ*: Cum Papa sit vicarium caput Christi, qui in regionem abiit longinquam.

Cum igitur summe sit necessaria saluti hominum, stante lege, hujus *Vicarii perfectio:* Postulemus humiliter & devote, ut Christus sponsus Ecclesiæ inauferibilis nobis certum & unicum, *Deum timentem Papam, avaritiam & lasciviam in se & in aliis odientem*, constituat, ad gloriam nominis sui, & salutem ovium suarum, pro quibus multa dura & aspera usque ad ignominiam mortis crudelissime passus est. Ad hoc quippe mortuus est Jesus, ut filios dispersos in unum congregaret, *Joh.* XI. utraq; unum tanqvam lapis faciens angularis.

Disidia trium Pontificum circa tempus Concilii Const.

Sed ecce jam heu *schisma maledictum, fera pessima, monstrum horrendum*, pulcherrimam hanc & perfectam unionem, quantum in se fuit, prius *in duas partes*, posterius *in tres partes* discerpsit & laceravit, & in exilii extrusit longinquam regionem.

Pharisaica contentio inter Pontifices ante Concilium Const. dissidentes.

Sed qualis sit ista horrenda perfidia, videre ipsam Ecclesiam sic laceratam & dissipatam, manuducendo ostenditur. Nam sicut intolerabile est unicuiqve nostrum, videre matrem suam carnalem à capite usqve deorsum per medium in duas vel in tres partes jacere dilaniatam: O qvantum magis debet esse intrinsecus dolor cordium nostrorum, quod amantissima mater nostra spiritualis, sancta universalis Ecclesia, quæ nos regeneravit in Christo, *per 40. fere annos* usque in præsens, à capite usqve deorsum jacuit in corpore & partibus suis discerpta, lacerata *pharisaica contentione*, de qua olim conqvestus est Apostolus. Qvibusdam dicentibus: *Ego sum Gregorii.* Aliis: *Ego sum Benedicti*, & cæteris, *ego sum Johannis.* Cui lacerationi & *nefandæ contentioni* multi Reges, & Principes, Prælati compassi sunt. Sed nulla remedia hactenus profuerunt. Qvia etsi diligentissime laboraverunt, tamen ipsam Ecclesiam minime reunire potuerunt. Qvin imo peccatis populi exigentibus, & præsertim *superbia, lascivia, & sævissima dominandi libidine Prælatorum*, matre infausta hujus pestiferi schismatis, hoc heu! longius protractum fuisset, nisi *Serenissimi Principis & Domini, Domini* SIGISMUNDI ROMANORUM REGIS & HUNGARIÆ *semper Augusti* sollicita diligentia, & diligens sollicitudo accessisset. Qvi ex pura gratia Dei, tum speciali privilegio, *ad opus tam salubre*, tamqve laudabile perficiendum, ut creditur, est *prævisus ab æterno.* *Hunc* ista gloriosa expectavit victoria, *hunc* ista præstolabatur gloria & felicissima in cunctis seculis celebranda memoria, quod *ipse resarciret Ecclesiam sic laceratam*, & schisma tam inveteratum submoveret. Unde *merito præ cæteris Regibus & Principibus in apicem imperialis dignitatis dignus est ab Ecclesia exaltari.* Cui Ecclesia respondens pro meritis exhibere debet in effectu, & digne dicere: *Faciam te excelsiorem cunctis Regibus. Deutr.* 26.

Dominandi libido in Prælatis causa olim schismatis.

Sigismundus Imperator schisma composuit.

Sigismundi encomium.

Sigismundus adjuvandus.

Assurgendum itaque est, & omnino à singulis Christicolis, usum habentibus rationis, *tanto athletæ cooperandum*, ut tanta clades, tantaque pernicies de domo Dei pro salute populi, & ejus gloria eradicetur, & penitus evellatur, & pax Ecclesiæ salutifera de exilio revocetur.

Reformatio Cleri Concilio commendata.

Vos tamen *Ecclesiæ præsides*, priscorum Patrum Zelum & vestigia subsequentes, præ cæteris assurgatis, & sanctorum Patrum veteribus recensitis canonibus, ea, quæ *ad instaurationem clericalis disciplinæ*, & pacis restaurationem pertinent, secundum quod uniuscujusqve expostulat ratio, *conciliariter decernere, statuere & ordinare* non pigritemini, salubriter exhortati verbis *Innocentii Papæ c. 2. secundi generalis concilii Romæ celebrati*, sic dicentis: *Qvoniam funiculus triplex difficulter rumpitur, præcipimus, ut Episcopi ad solum Deum & salutem populi habentes respectum, omni cupiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, nec hoc alicujus amore vel odio prætermittant. Qvod si quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, ne dum damnum propriæ dignitatis incurrat, quinimo beatitudine pacis careat à Salvatore promissa, qui, beati, inquit,*

Conciliariter statuendum de reformatione Ecclesiæ, quod nationaliter in Concilio erat jam factum.

quit, pacifici, quia filii DEI vocabuntur.

Audiant hoc jurgiorum & dissensionum seminatores, & negligentes pacis restauratores, ac omnino ipsius impeditores: Et ex adverso colligant, si filii Dei vocantur, qui pacem faciunt. Procul dubio *Satanæ* sunt *filii, qui discordiam faciunt*, & impediunt unionem. Qvibus resistite fortes in fide, vos columnæ Ecclesiæ. Nunc maxime, quando adversarius vester diabolus, pacis inimicus, sæviet acrius, salutem pacis & unionis sentiens appropinquare. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus, *Rom.* 13.

Schismatis fomes superbia, ambitio, invidia.

Immittet enim, non dubito, validissimum ad continuationem schismatis impedimentum, *ministerio superbiæ, ambitionis, cupiditatis vel invidiæ: Divisiones* scilicet & *odia, rixas & jurgia inter eos*, qui prosecuturi sunt hanc sanctissimam unionem. Cui *resistite fortes in fide.* Et sequitur in epistola: *Scientes, eandem passionem*, subaudi, *ut olim*, circa unionem vel electionem, quæ in mundo est, *vestræ fraternitati fieri.* Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit vos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, sive hanc sanctissimam unionem confirmabit, solidabit. Qvare ipsi gloria & imperium in secula seculorum Amen.

Difficilis electio novi Pontificis in Concilio Const.

Sic conclusit *B. Petrus*, qui fuit unicus & indubitatus Pontifex, in epistola hodierna, prænuncians, Reverendas Paternitates, & reverendas dominationes vestras tribulationes passuras & angustias, anteqvam summus talis Pontifex & indubitatus eligetur. Sed per spem Domini nostri Jesu Christi, cujus res agitur, ne ab incepto opere torpeatis, easdem paternitates ac dominationes ad operis erigit continuationem, dicens, quod ipse *Christus, principalis Pontifex & invariabilis*, perficiet, & confirmabit, & solidabit diu à fidelibus optatam unionem. Cui soli vere & merito gloria & imperium in secula seculorum est adscribenda, si *anchoram spei, quam sæpe perdidimus, in desperatione positi*, humanoqve consilio & auxilio omnino destituti, propter casus, qui in hoc opere emerserunt, diligenter revolvamus.

Et hoc qvoad secundum.

Simonia totum olim infecit clerũ. Plures Simoniaci quam hæretici.

Est insuper tertia perfidia, etsi minima in genere, scilicet *Simonia:* Est tamen *maxima in infectione. Cum in statu Ecclesiastico incomparabiliter multo plures sint Simoniaci, quam hæretici, vel schismatici.* Nam ipsa maledicta perfidia *fere totum clerum maculavit* beneficia possidentem. Qvia usqve *adeo venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix aliqua Ecclesia possit reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta*, ut scribit Nicolaus Papa in Synodo Constantinopolit.

Unde fit clericatus studium.

Ex eo enim, quod *statibus Ecclesiasticæ prælaturæ tantæ deliciæ, divitiæ & honores, reverentiæ, potestates & dominationes* conspiciuntur *annexæ*, fatuus & sapiens, puer & senex, malus & bonus, doctus pariter & indoctus, à minimo usqve ad maximum, omnes pariter indifferenter *ad pingues Ecclesiasticos status per fas nefasq; ascendere anhelant*, Simoniam practicant, discordiam seminant, cœlum & terram movent, magnis periculis, miseriis, & mediis se exponunt, quas tamdiu si paterentur propter Deum, coronam martyrii sortirentur, coqvinæ sqvaloribus & servitiis vilibus stabulorum se submittunt, ut ad beneficia & Ecclesiasticas dignitates promoveantur.

Hæc enim omnia exercet perfidia illa magna, videlicet *Simonia*, quæ unionem tertiam Ecclesiasticorum & spiritualium bonorum, adjacentium corpori mystico, & suis membris, quasi undique infideli errore dissolvit, atqve illa bona veluti ubiqve dissipat vehementer.

Raro sacra digne administrari.

Nimis enim *rarum* est, ut *reverenter, fructuose & meritorie* in horis canonicis & missis divina officia peragantur, verba Dei sic seminentur, sacramenta Ecclesiastica sic ministrentur, judicia in foro conscientiæ & Ecclesiastico sic exerceantur, sic mali corrigantur, & boni promoveantur, atqve bona temporalia Deo consecrata sic disponatur. Sed prædicta plurimum *irreverenter, nocive & abusive* tractantur.

Unde per illam magnam perfidiam nedum *bona* talia & similia *spiritualia*, sed etiam

etiam *bona Ecclesiastica* quasi ubiqve *dissipantur.*

Ubi enim, & qvando, jam in Christianismo ad dignitates, præfecturas, administrationes, beneficia, regimina, judicia & officia in Ecclesiasticis eliguntur, præsentantur atqve assumuntur aliqvi secundum hæc, qui sint viri potentes, sapientes & timentes Deum? In qvibus est veritas, & qvi odiunt avaritiam. Qvales, ad consilium Jetro sacerdotis Midian hominis gentilis, Moses vir plenus Deo in Judaismo constituit & elegit principes populi, tribunos, centuriones, qvinqvagenarios, & decanos, qui populum omni tempore judicabant, *Exod.* 18.

Cleri studium ante tempora Concilii Const.

Sed nunc quasi per totum mundum *quæruntur & attenduntur munera, servitia, lucra, commoda, honores, favores* & affectiones carnales. Et sic secundum studiosas & perversas voluntates *spiritualia in Ecclesiasticis pro temporalibus commutantur.*

Promoti olim ad sacra ineptissimi.

Et *promoventur* in pastores majores & minores hominum & animarum, tam penitus ad illos pascendum *ignari*, impotentes & mali: Ita, quod *consimiliter indispositos circa curam jumentorum nemo de mundo vellet habere pastores ovium & porcorum.* Tam inhabiles, *idiotæ*, & discoli, in Levitas, Sacerdotes & Episcopos ordinantur, in ministerium & officium divinorum, ita ut *rusticus consimiliter indispositos circa ruralia nollet habere in servitium & culturam agrorum.*

Qui ad sacra officia malos promovent, male de Ecclesia merentur.

Et tales, sic inhabiles *promoventes*, manifestum est, oves Christi non diligere, nec in charitate manere, ac per hoc tunc in statu salvandorum non esse. Qvomodo enim oves Christi diligunt, qui eas, *in medio luporum rapacissimorum* constitutas, scienter & volenter paralytico, aut cœco, aut torpore desidiæ langvido tradunt custodiendas & committunt? Nonne sunt ovium perditores, & ipsarum crudelissimi occisores, pro quibus vivificandis pius mundi Salvator est occisus.

Patroni Ecclesiæ sciant, quales sint, Ecclesiis quos præficiat.

Nec solum incidit in hujusmodi reatum homicidii, qui *sciens & volens* tradidit animas custodiendas impotenti, ignoranti vel negligenti, sed ut in pluribus, qvi eas tali committit curandas, de quo penitus *ignorat*, qvalis sit in *potentia, vita, scientia & voluntate* curandi.

Et si unum contingere possit *ignotum esse idoneum*, non est tamen hoc, si accidat, præficientis munus sed fortunæ. Si autem *ignotus* fuerit *minus idoneus*, hoc ipsum merito imputabitur præficienti, qui, ne talem præficeret, sollicite debuit præcavisse. Sicut, si sagittans in locum, per qvem novit esse hominum consvetum transitum & freqventem, aliqvem occiderit, licet ignorans, *hujusmodi ignorantia non excusat*, sed magis est reus homicidii perpetrati. Qvia anteqvam sagittam emitteret, ne forte quisqvam ibi præsens foret, considerasse debuit diligenter. Ideo dicit *Chrysostomus* de dignitate sacerdotum: *Qvi ordinant indignos, eisdem pœnis subjacent, quibus illi, qui indigne sunt ordinati, etsi dicant, se eorum vitia ignorasse.* Unde Apostolus ad Timotheum: *Manus cito nemini imposueris, ne communicaveris peccatis alienis.* Hoc crimen gravius efficitur, qvàm excusatur. Cur promovit eum, qvem ignorabat! Atqve illud, qvod putabatur esse excusatio, fiet accusatio. Hæc *Chrysostomus.*

Mores pastoris sint cogniti.

O qvanto igitur tremore & timore beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum deberent contuti *collatores*, ne forte pro vivificatoribus ovium eas exponant occisoribus, ac per hoc in tremendo judicio cum homicidis condemnentur.

Ideo vos, *Reverendissimi & Reverendi Patres*, hoc pensato *periculo collatorum*, ac discutientes, qvanta & qvam ardua habentibus status Ecclesiasticos agenda incumbant, in qvibus si negligentes fuerint, etiam æternæ subeunt maledictioni: In *reformatione Ecclesiæ*, hoc præcipue providete, *ut doctis & habilibus provideatur* præ cæteris in futurum. *Pluralitatem beneficiorum* superfluam amputantes, per qvam cultus divinus diminuitur, & populus scandalisatur.

Reformatio Ecclesiæ in Concil. Const. curanda ita ut boni & apti sacris præficiantur.

Non enim æqvum est, *fatuos præesse, & sapientes subesse, juvenes dominari, senes famulari, ignaros ardua discutere, scientes loqui non audere, equorum famulos in promotionibus praponi, eloquiorum Dei discipulos*

pulos postponi, *Simoniaca hæresi* procurante.

Et quid necesse est, hæc quasi minus nota publicare, cum de his *experientia luce clarior* mundum repleverit universum. Ideo propter multitudinem ista hæresi infectorum hæc magna perfidia quasi jam *peccatum non reputatur*.

Simonia pro peccato haberi noluit.

Unde rationibus non vincuntur, Sacram Scripturam non recipiunt, & sanctorum Patrum canones vilipendunt, qui contra istam perfidiam clamaverunt. Ut patet 1. *q.* 1. *per totum*.

Imò, quod deterius est, viros catholicos, gravitatem hujusmodi peccati pensantes, exosos habent & *derident*, *qui pro exstirpatione hujusmodi hæreseos laborant bono Zelo*. Et quanto plus sollicitant, tanto magis *curialium* & aliorum *illo morbo gravatorum* detractionibus, sibilo & risui exponuntur. O nimis stupenda insania, & vere culpanda vesania! Qvid perniciosius, qvidve à salute remotius, quam *illos detestari*, & illorum in fabulas convertere hortamenta, *qui* eos *satagunt reducere ad salutem*, & se, lætaliter vulneratos, sanos æstimare? Grande *peccatum Simoniæ* pro non peccato erronee reputantes. Cum tamen secundum *B. Gregorium* liqveat, hanc hæresin ante omnes hæreses radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sui origine apostolica esse detestatione damnatam. Cur non cavetur, cur non perpenditur, quod illi benedictio in maledictionem convertatur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur? Et habetur 1. *q.* 1. *c.* 13.

Spreti & derisi qui Simoniā taxarent.

Nec tibi, Simoniace, *de multitudine peccantium* similiter impunitatem mentiaris. Audi B. Hieronymum sic dicentem: Non tibi de multitudine peccantium similiter blandiaris, dicens: *Non ego hoc solus, multos habeo socios*. Recogita, quod *multitudo peccantium impunitatem non facit*.

Exhortatio ad Simoniacos.

Redite ad cor, *Simoniaci* prævaricatores, & attenta *peccati gravitate*, & omni procul amota *cupiditate*, juxta monitum sumi Pontificis beati Petri in principio epistolæ hodiernæ, humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ad majores dignitates & præfecturas, omnem vestram curam projicientes in eum, qvoniam ipsi est cura de vobis, ubi thema. Humiliamini, inquam, ut contra Deum dura cervice & collo extento non acquiratis nec possideatis acquisitas Simoniace dignitates, attendentes illud Salvatoris: Qvid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut, quam dabit homo commutationem pro anima sua, *Matth.* XVI. Et iterum: Nisi quis renunciaverit, scilicet in affectu, omnibus, quæ possidet, ita, quod nihil velit acquirere vel tenere contra Deum, non potest esse meus discipulus. *Luc.* 14.

Simoniaci cos teneri male acquisita dimittere.

Igitur *Simoniaci*, si volunt Christi & non Anti-Christi esse discipuli, beneficiis & dignitatibus *renunciare* tenentur, *quæ per Simoniam sunt adepti*, exemplo Mosis, qui ad placandum Deum peccatum filiorum Israel, id est rem, in qua peccaverant, scilicet *vitulum*, arripiens igne combussit, & in frusta comminuens, & omnino in pulverem redigens projecit in torrentem, qui de monte descendebat, *Exod.* 32. & *Deutr.* 6. Sic Simoniacos, si volunt placare Deum, & sibi reconciliare, peccatum, quod fecerunt, id est rem, in qua peccaverunt, scilicet *beneficium Simoniace acquisitum* abjicere oportebit, quod *est quasi vitulus*, *quem adorant*, conflatus in igne nimiæ solicitudinis & laboris. Qvod peccatum non dimittitur, nisi male possessum dimittatur. Est enim male possessum sicut telum in vulnere, quod sanari non valet à medico, nisi prius extracto à vulnere ipso telo.

Comparatio Simoniacorū & Israëlitarum vitulantium in deserto.

Simoniaci ægre dimittunt quæ caro emerunt pretio.

Sed timeo, quod hoc *consilium* Simoniacis præceptum *Simoniaci* non acceptabunt, exemplo illius juvenis, de quo *Matth.* 19. qui multas habens possessiones abiit tristis, nolens eas vendere, & Christum seqvendo pro thesauro cœlesti commutare.

Simoniacorum pœna spiritualis.

Sed judicium Dei horrendum post hanc vitam super se debent finaliter expectare, sub cujus manu potenti hic in præsenti humiliari voluntarie noluerunt, eo ipso, quod *hæresi Simoniaca infecti* damnatione involvuntur, ab Elisæo Propheta perfunduntur, à Petro in perditionem damnantur, à Christo vero tanqvam

tanquam exteri de templo ejiciuntur Ecclesiæ militantis, in signum evidens, si finaliter non pœnituerint, de templo triumphantis Ecclesiæ absque dubio repellentur.

Simoniaci per Concilium Const. plectendi.

Sed nec in hoc seculo illorum perversorum hæreticorum effrenitas debet transire impunis. Qvinimo per *Prælatos hujus sacri Concilii compescatur.* Ne, pravis continuo invalescentibus, tandem victor sedeat in solio majestatis princeps tenebrarum, artifex simoniacæ iniqvitatis, firmaturus undiqve propugnacula suæ tyrannicæ majestatis.

Ideoqve vos, *Reverendissimi & Reverendi Patres*, Ecclesiæ Dei rectores, gubernatores & administratores, tali hæresi maledictæ resistite fortes in fide, ipsam nimis scandalizantem Ecclesiam à domo Dei fortiter profligantes. Alias timor est, si negligentes fueritis, sicut huc usque, *Reges & Principes seculares ipsam curabunt à clero extirpare.*

Cleri simoniam per Principes tandem iri extirpatum.

Exsurgite igitur quæso, exsurgite, vos *Reverendissimi Patres & Domini præstantissimi*, sanctæ Ecclesiæ præcipui defensores: Culpatorum solvite nodos, *transgressores morum corrigite* inhonestos, excitate Zeli disciplinam in perfidos, superborum mordacitates obtundite, oppressoribus cleri & Ecclesiæ resistite, & oppressis ad salvandam libertatem subvenite. Et quod plus omnibus est, protegite & propugnate domum Ecclesiæ militantis secundum triplicem fidem supradictam, atque de medio Ecclesiæ triplicem perfidiam contrariam propellite & fugate. Ubi minor, scilicet *Simonia*, post se induxit & inducit mediam, puta *schisma*, sub quo, & ex quo tertia perfidia, *hæresis*, nimis invaluit & succrevit.

Et nos omnes devotis orationibus, & aliis bonis operibus insistemus, ut hæc ita fiant diligenter, ut dicta fides triplex in nobis crescat & perficiatur, & ex hinc ad contemplandam speciem celsitudinis perducamur, ac venire mereamur. Qvod nobis præstare dignetur ipse Jesus Christus, sponsus Ecclesiæ, in secula benedictus. AMEN!

Rerum

Rerum momentis
Gravissima
Sed &
Animi sinceritate
Candidissima
hæc
ORATIO
à
Clarissimo Theologo
STEPHANO DE PRAGA
in
CONCILIO CONSTANTIENSI
præsente
Anno M CCCC XVII.
Mense Junio
Dominica III. Post Trinitatis
In Publico Concilii consessu
Ad
SIGISMUNDI IMPERATORIS
votum
habita
De Arduis
Concilii Constantiensis
negotiis
utpote
De Hæresibus illius temporis
extinguendis
qualis
haud erat postrema
Doctoris JOHANNIS PARVI

Qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qui
Regum Majeſtatem
Principumque
ab injuriis ſubditorum
immunitatem
divinitus conceſſam
impie vellicarat
Nec non
de clero illius ævi
variis vitiis
fœde maculato
Concilii ope emendando
de Simonia præſertim
dedecoris Eccleſiaſtici
ſcaturigine
obſtruenda
de Simoniacis pertinacibus
removendis
atque plectendis
de ſubſtituendis
clericis melioribus
doctrina
probitate
in eccleſiam amore
gubernandique peritia
inſignibus
ab avaritia
invidia
dominandique libidine
alienis

Deniq;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Denique
de Summo Pontifice
bono
omnigenaque virtute prædito
eligendo
Nunc tandem
ad Historiæ Ecclesiasticæ lucem
pristinorum fatorum
pleniorem notitiam
IMPERATORIS SIGISMUNDI
laudem
Germaniæ
sub cujus cœlo
tam præclara negotia
religiosissime tractata
decus
Dei sanctissimi gloriam
ac posterorum commonefactionem
ex antiquo codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS
Anno M DC XCVII.
die XVIII. Februarii
in eadem Academia
in lucem producta
Felicibus Auspiciis
Serenissimi Brunsvicensium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
sub felicissimo Imperio
AUGUSTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS
LEOPOLDI I.

)o(

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf